DE INEFFABILI TRINITATIS MYSTERIO ORATIO HABITA IN SACELLO PONTIFICIO ... A...

Galeazzo Marescotti, Valenti Gonzaga



Sanctissimo Domino Nostro

BENEDICTO XIV.

PONTIFICI MAXIMO

GALEATIUS MARISCOTTI

FELICITATEM.



UÆ *mihi caussæ esse poterant*, BEATISSIME PATER, *in inscribendo Tibi perbrevem Orationem, quam inter solemnia* SANCTISSIMÆ TRINITATIS *in Pontificio Tuo Sacello habui,*

bui, ut justo timore ob exiguitatem mei ingenii afficerer, & ob majestatem Tui nominis nimiæ audaciæ reus agerer, illæ eædem & me a metu liberant, & ab nota temeritatis absolvunt. Es enim iis moribus quum a natura, tum a virtute institutus, ut quemadmodum magna ingenia æstimas, & laudas, ita exigua non despicias, & damnes, eamque præstes in summa potestate moderationem, atque humanitatem, ut neminem a præsentia Tua submoveri sinas, omnibus aditum ad Te facilem præbeas, comiter alloquaris, & benignissime auscultes. Accedit ad erigendum mihi animum dignitas argumenti, quo nihil augustius, nihil præstantius, ineffabile SANCTISSIMÆ TRINITATIS *mysterium. Divinarum Personarum singula-*


gularis Character mihi visus est in Ecclesia Christi Catholica, ceu in imagine exhiberi. Hujus Tibi Ecclesiæ, *cui ut caput visibile praees, cura maxima incumbit, hanc incredibili amore complecteris, sanctissimis moribus ornas, egregiis, doctissimisque sanctionibus illustras, & munis, & ad ejusdem prosecutionem, & qui in ea continentur, & qui foris sunt, verbis, & exemplis allicis, & confirmas.* Ea de *caussa quæ* Tibi *vigilantia, quæ in omnes casus provida sollicitudo, qui literarum cultus, quæ studia, qui obduratus labor! sed quid ego quæ omnibus nota, ignota uni* Tibi, *celebro, & prædico? Magnum interim meorum studiorum fructum relaturum arbitrabor, si Oratiunculam hanc meam haud dedigneris sereno vultu adspicere,*

 mihi-

mihique in utrumque genu provoluto Tuam pontificiam benedictionem impertiri.



ORA-



ORATIO.



UUM mecum ipſe perpendo, BEATISSIME PATER, de ſublimi TRINITATIS myſterio ſermonem inſtituendum mihi eſſe coram SANCTITATE TUA, in ampliſſimo ſapientiſſimorum Patrum cætu, inque honorificentiſſimo hoc loco, ita animus perturbatur, ut quicquam non ſolum de illo adpoſite loqui, ſed ne vix quidem audeat cogitare. Lux enim illa inacceſſibilis, quam unus, & trinus Deus inhabitat, mentis aciem obruit, & obtundit,

omnem

omnemque intelligendi facultatem extinguit. Quale ergo mihi in re præsenti consilium? Qui solem intueri volunt solertes astrorum speculatores, vitrum atro colore oblinunt, & infuscant, quo paucissimi radii, iique fracti, & debilitati ad fundum oculi perveniant, quibus non ipse sol, sed solis spectrum repræsentatur. Splendidum quoddam spectrum, & imago TRINITATIS Augustissimæ est Ecclesia Christi Catholica, cui characteres quosdam illius summæ divinitatis impressit Deus Optimus, per quos aliqua cum illa similitudo consurgeret, & inexplicabilium perfectionum imperfecta quædam species exprimeretur. His apte uti si per exiguitatem ingenii liceat, de ineffabili mysterio posse me aliquid fari haud diffidam.

In TRINITATE Sanctissima adoramus Patrem, ejusque nullis limitibus conclusam potentiam suspicimus; adoramus Filium, in quo Pater thesauros posuit sapientiæ suæ; adoramus Spiritum Sanctum, quo Pater, & Filius se mutuo diligunt, & a quo charitas illa proficiscitur, quæ in cordibus no-

stris

ſtris diffunditur. Quamvis enim divina illa attributa omnibus divinis Perſonis communia ſint, inquiente Bernardo, Beata illa, & ſempiterna TRINITAS Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus unus Deus ſcilicet ſumma potentia, ſumma ſapientia, ſumma benignitas, ita tamen ſingula ſingulis a nobis tribuantur per quamdam, ut Theologi nuncupant, adpropriationem, ut Patri Potentia, Sapientia Filio, & Charitas Spiritui Sancto ſpeciali quadam ratione convenire videatur.

Horum porro attributorum ſimulacrum, & quidem illuſtre in Eccleſia Catholica conſpiciendum nobis exhibetur. Et quidem Poteſtas illa effulget, cui faſces ultro ſubmittunt quicumque honorum gradibus inter homines excellere, & opibus, & auctoritate præſtare ceteris intelliguntur. Hæc in ſui obſequium non armorum ſtrepitu, & virtute militum, ſed religione, & veritate univerſum orbem a ſolis ortu uſque ad occaſum adduxit. Hæc renaſcentium hæreſum multiplicia capita non ferro, & igne contudit, & abſumpſit, ſed

uni-


unius verbi ſcripti, & traditi inviĉtiſſimo robore protrivit, & profligavit.

Quid de ſapientia dicam, qua Eccleſia Chriſti tantum Ethnicorum ſapientiam ſupergreſſa eſt, quantum illa ceterarum gentium barbariem, atque ignorantiam. Quot ad recte, & præclare de Deo ſentiendum, & ad religioſum ejus cultum firmandum, & conſtabiliendum canones conſtituti! Quot non fluxæ, & incertæ ſed tutæ, & conſtantes regulæ ad mores ſancte inſtituendos præſcriptæ! Qua doctrina & Græci, & Latini Patres illam non illuſtrarunt, in quibus ſive ſermonis elegantiam ſpectes, & eloquentiam, ſive rationum pondus, & argumentorum ſoliditatem, ſive humanarum, & divinarum rerum ſcientiam nihil ultra erit tibi quærendum, nihilque uſquam cum illis comparandum invenies.


Si demum ad charitatem oculos deflectamus, hæc Chriſti Eccleſiæ ſic inſita eſt, ut ſine ipſa nequeat illa conſiſtere. Hac ſpiritum trahit, hac vivit, hac extincta, & ipſam extingui neceſſe eſſet. Nexus hic eſt indiſſolubilis, quo Caput cum mem-

bris,

bris, & membra cum capite vinciuntur. Charitate justi efficimur, Deum diligimus, fratres amamus, errantes in viam veritatis reducimus, inopibus opem ferimus, infirmis sanitatem conciliamus. Non itaque in Ecclesia Catholica splendet imago augustissimæ TRINITATIS? Hanc igitur ex intimo cordis sensu amore, & cultu prosequamur, huic arcte hæreamus, hanc in oculis, in manu, in sinu feramus, ut tandem si nunc per speculum, & in enigmate, Deum ipsum Unum, & Trinum, cujus typus in terris Ecclesia est, revelata facie in cœlis, Christo auxiliante, conspiciamus.



F I N I S.



IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo P. Magistr. Sac. Palatii Apostolici.

F. M. de Rubeis Patriarch. Constant. Vicesgerens.

IMPRIMATUR,

Fr. Vincentius Elena Reverendissimi P. Magist. Sac. Palatii Apostolici Soc. Ord. Prædicat.